

instituta est, vel ab alijs, qui hæc eruditius docuerunt. Propter operam enim ad sequentia quorum causa hæc prius non obiter cognoscenda, sed bene discenda & exercenda sunt.

**Definitio multiplicati-  
onis.**

Est autem multiplicatio, cum datis duobus numeris alius ita propagatur, ut vterlibet eorum toties sibi ipsi accumuletur, quot in altero sunt unitates, unde fit, ut quoties coagmentata unitas gignit priorem numerum, velut multiplicantem, toties coaceruatus & posterior, ut multiplicandus gignat eum, qui ex mutua eorundem duorum multiplicatione existit. Quare in multiplicatione quatuor occurrunt numeri proportionales hoc modo, ut sicut unitas est ad multiplicantem, sic multiplicandus ad eum, qui procreari dicitur. Nec quidquam refert, utrum ex duobus datis numeris maiorem ne vel minorem, statuas multiplicantem vel multiplicandum: priorem vel posteriorem. Hæc quia & per se facilia sunt, & nota ex vulgaribus artis numerorum elementis, nihil attinet hoc loco prolixius explicare. Ex his autem fontibus definitionis regula sumitur, cuius in hac doctrina scrupulorum usus latissime patet. nempe quod numerus, quem gignit mutua duorum multiplicatio, totidem interuallis distet a multiplicando, quot distat interuallis, multiplicans ab integro velut unitate, quemadmodum mox ex sequentibus erit perspicuum.

**Regula uni-  
uersalis.**

**II. De specie  
emergenti ex  
duarum mu-  
ltiplicatione.**

Ac ut dextre & facile iudicari queat quæ species ex alijs duabus inuicem multiplicatis existat, sit hæc breuis tabella in conspectu, vel animo potius inclusa, quam supra in enumeratione proposuimus, in qua integrum, quasi medium interstitium, ad sinistram habet sexagenas ex integris coagmentatas, ad dextram vero scrupula sexagesima unius integri, quod quidem aliam notam præter cyplaram non habet.

IIII æ 4	III æ 3	II æ 2	I æ 1	0	I a 1	II a 2	III a 3	IIII a 4	IIIII a 5	IIIIII a 6	IIIIIII a 7
Quartæ	Tert.	Secun.	Pri.	INTEGRA	Prima,	Sec.	Tert	Quart,	Quint,	Sex,	Sept.
SEXAGENAE					SCRUPULA						
ἑξήκοντάδες:					ἑξήκοντα.						

**Prima Re-  
gula.**

Aut igitur inuicem multiplicantur species, quæ sunt eiusdem generis, ut sexagenæ in sexagenas, ut scrupula in scrupula. Aut species diuersorum generum ut sexagenæ in scrupula, vel scrupula in sexagenas. Si multiplicantur inuicem species eiusdem generis, notæ vel numeri earum inuicem additi monstrant speciem emergentem ex ipsarum multiplicatione, quæ quidem semper manet in eodem genere, ut si multiples primas sexagenas in secundas, existunt tertiæ sexagenæ, eo quod ex notis vel numeris earum specierum, scilicet 1, 2. aggregatur ternarius nota tertiarum sexagenarum. Similiter quoque de scrupulis iudicabis.